



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

99. An possit Pontifex dispensare in matrimonio consummato Infidelium, quando ambo baptizantur? Et an Pontifex ex causa possit dispensare in matrimonio fidelium consummato? Ex p. 8. tr. 1. res. 66.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)

facta à Pontificibus hanc exceptionem, vel huius potestatis delegationem, sine qua non potest in inferioribus esse ea potestas. Denique idem firmatur, quia ut omnes Doctores affirmant, non potest Episcopus dispensare in aliquo euentu in professione solenni Religiosorum; ergo neque in matrimonio rato.

Alibi in Ref. quæ hic cit. supra. §. 8. dicit Perez, dictum illud Doctorem, posse Episcopum in sua Diocesi quidquid Pontifex in toto Orbe, sic esse intelligendum, ut excipi debeant res tam arduæ, & graues, circa quas adhuc de Pontificis potestate ab ipsis Doctores dubitatur. Cum enim deceat grauiissimas causas summo Christi Vicario referuari, censendum est Christum illi soli referuasse. Ad hoc expressè referunt in iure Canonico dissolutionem matrimonij rati Summo Pontifici, dum præcipit Pontifex Episcopis ut compellant ad sponsalia, & multo magis ad matrimonium ratum seruandum. In qua lege, cum sit superioris, sequitur Episcopus dispensare. Extat cap. ex litteris Syluani, de sponsalibus, & matrimonijs, vbi Alexander III. præcepit Episcopo Pictauiensi, ut compellat iuuenem quandam accipere illam, quam iurauerat se ducturum in uxorem. Extat etiam cap. licet, de sponsa duorum, vbi etiam Alexander III. præcepit Salernitano Archiepiscopo, ut Ecclesiastica districtione compellat virum, qui primò contraxerat matrimonium ratum cum vna, & postea alij mulieri nupserat copulâ secutâ, ut ad primum matrimonium ratum redeat, nam posterior matrimonium consummatum fuit prorsus irritum.

RESOL. XCIX.

An possit Pontifex dispensare in matrimonio consummato infidelium, quando ambo baptizantur?

Et an Pontifex ex causa possit dispensare in matrimonio fidelium consummato? Ex part. 8. tract. 1. Ref. 66.

Sup. hoc in tom. 1. et. 6. Ref. 135. Sed si & seq.

HOc dubium mouet Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 2. disp. 27. & sic ait. Videtur non posse, cum per Baptismum fiat illud matrimonium, sacramentum, ut dixi hoc lib. 2. disp. 9. n. 5. & cum sit iam consummatum, repræsentabit indissolubilem vniorem Christi cum Ecclesia, quæ est ratio omnimodæ indissolubilitatis matrimonij consummati, ut dixi disp. 13. n. 7.

2. Nauarr. lib. 3. consiliorum, tit. de conuersio infidelium, in prima editione, consil. 1. in 2. consil. 3. in solutione ad secundum dubium, à n. 12. late hoc tractat, & defendit posse. Cuius sententia mihi placet: quia firmius est matrimonium ratum fidelium, quam consummatum infidelium, maiorem enim firmitatem sortitur matrimonium ex ratione sacramenti, quam habet ratum fidelium, quam ex ratione contractus naturalis, quam solum habet matrimonium consummatum infidelium, ut late probaui dict. disp. 13. num. 7. & ita illud dicitur ratum, hoc autem non cap. quanto, de diuor. & cap. fin. 28. q. 1. cum ergo possit Pontifex dispensare in matrimonio rato fidelium, poterit à fortiori in consummato infidelium, & fauet Abbas cap. ex publico, n. 14. de conuers. coniug. vbi ait, ex statuto Ecclesiæ dissolui matrimonium per conuersionem solam alterius coniugis. Nec obstat argumentum propositum, quia cum post factum Sacramentum, nondum consummatum sit, non repræsentabit indissolubilem vniorem Christi

cum Ecclesia per carnem, & ita reputabitur tanquam matrimonium ratum fidelium, quod Pontificis dispensatione dissolui possit. Huculque Sanchez.

3. Sed aduersus illum insurgit Pontius lib. 9. c. 2. n. 8. negans matrimonium infidelium consummatum posse dissolui auctoritate Pontificis, & hanc fuisse hæcenus communem sententiam Doctorem affirmat. Et Pater Vasquez disp. 2. de matrimonio c. 6. n. 58. falsissimam docet esse quorundam doctrinam, qui ex eo quod indissolubilitatem matrimonij ex significatione vniorem hypostaticam oriri existimauerint, deducere non dubitarunt, matrimonium consummatum infidelium, cum ad fidem conuertantur, dissolui posse auctoritate Pontificis, eo quod non sit signum coniunctionis Christi cum Ecclesia. Id quod anno Domini 1588. cum ipse Gabriel Vasquez esset Romæ, à Summo Pontifice Sixto V. obtinere pro viribus contenderunt, & repullam passi sunt, in quorum sententiam ipsum nunquam secedere voluisse affirmant.

4. Vnde ex his nouissimè Pater Perez de matrimonio. disp. 20. sect. 10. n. 8. sententiam Sanchez non admittit, & existimat, cum uterque coniugatus est conuersus ad fidem, & baptizatus, & matrimonium consummatum erat ante Baptismum, non postea, adhuc in eo casu non possit Pontificem dispensare, nec tale matrimonium dissolui. Et ratio est quia iam suscepto Baptismo est illud matrimonium ratum, & consummatum. Parum autem refert quod ante Baptismum consummatum fuerit: tum quia reuera effecti sunt vna caro: tum maxime, quia ex matrimonio consummato ante Baptismum, nascitur post baptismum affinitas, vel irregularitas, ut communiter docent omnes Doctores, & suo loco dicitur: ergo reputatur pro consummatione, ac si post Baptismum facta fuisset; aliàs ea impedimenta non orirentur ex copula habita ante Baptismum.

5. Ex quo pater solutio ad argumenta opposita, dicitur esse rationem de matrimonio rato fidelium, & de illo infidelium consummato; nam cum istud sit iam consummatum, & sit effectum vna caro, & ex ipso ante Baptismum consummato nascitur post Baptismum affinitas, vel irregularitas; reputatur pro consummato, ac si post Baptismum factum, fuisset consummatum; & ideo est in hoc sensu plusquam matrimonium ratum, atque omnino indispensabile à Papa, & indissolubile.

6. Notandum est hic obiter male aliquos Iurisperitos dixisse, posse Pontificem ex causa dispensare in matrimonio consummato: quos refert, & reprobat Couarru. 4. Decret. 2. part. cap. 7. §. 4. n. 15. & multi alij. Et Henricus lib. 11. de matrim. cap. 2. n. 3. in commento, littera T, refert D. Antonius 3. part. tit. 1. c. 21. §. 5. asserere Matrimonium V. & Eugenium IV. dispensasse in matrimonio consummato, dispensationes tamen fuisse irritas: sed falso id imponit Diuus Antonius; nam de matrimonio rato loquitur.

RESOL. C.

An Pontifex possit transferre Episcopatum ex vna Ecclesia ad aliam ob pinguiores redditus, & quamquam iure sit prohibita translatio Episcopi ex vna ad alteram Ecclesiam, an iure diuino, an vero Ecclesiastico?

Et cur Pontifex hoc matrimonium spirituale per conserationem consummatum magis dissoluere possit quam carnale consummatum?

Et in textu huius Resolutionis causa in se apponitur, ad hoc faciendum.

Et